



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Illvstrivm Miracvlorvm Et Historiarvm Memorabilivm Lib. XII

Caesarius <Heisterbacensis>

Antverpiae, 1605

De eo quod beata virgo Maria cum sancta Elizabeth & Maria Magdalena
praedicto Conuerso apparuit, cap. 15.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13177

mereri: quæ enim vigilando cogitamus, siue ad quæ mouemur, siue bona sint siue mala, eadem nobis saepe per somnia occurrunt; sicut catena dum trahitur & iactatur, pulsus pulsum impellit; ita in dormiēte, præcedens cogitatio, motus, siue consensus, opus bonum vel malum inducit. APOLLONIVS: Placet quod dicis, procede nunc de consolationibus iustorum.

CAPVT XV.

CÆSARIVS.

SVpradictum Conuersum Henricum, monachus quidam vitæ laudabilis, cuius nomen proderi non licet, obnixius rogauit, vt beatam Dei genitricem Virginem Mariam pro se interpellaret, cum ab illa visitaretur. Quod cum promississet, & die quadam dicto completorio in oratorio grangiæ, cuius magister erat, pro ipso preces funderet, apparuerunt oranti tres matronæ miræ pulchritudinis. Ad quarum decorem dum stuperet, & quænam essent, vel vnde venirent, intra se miraretur, vna ex eis cogitationibus eius respondit: Ego sum Maria Magdalena; hæc est vniuersalis Domina Dei genitrix virgo Maria, digito eam demonstrās; tertia verò est Elizabeth, & adjuxit: Tu oras pro monacho illo, nomē eius exprimens, magis autē indiges vt ipse oret pro te, sicque disparuerūt. Super eiusdem monachi caput, cum adhuc esset Diaconus, & euangelium legeret ad missam, idem Conuersus columbam vidit descendantem, & vsque ad finem lectionis ibidem manentem.

CAPVT XVI.

IN eodem Claustro, quod etiam Hemmenrode dicitur, monachus quidam fuit, prædicto Conuerso Henrico contemporaneus, nomine & opere Christianus. Istum multis modis Domina nostra consolari consuevit, secreta sua illi manifestans. Huius beati viri vitam, videlicet qualis ante conuersionem fuerit, vel post, in quantum scire potui, succinctè tibi perstringam: Non alia tibi de illo referam, quàm ea, quæ à religiosis viris, qui eum viderūt & nouerūt, mihi dicta sunt. Cùm adhuc esset scholaris, vt scholas visitans

Consolatur pros.

Vita Christiani monachi in Hemmenrode.

per